

DECRETA.

1. – Episcopus tenetur conservare, restaurare, ampliare etiamsi opus fuerit, domum seu residentiam suam, illam providere necessariis omnibus in ordine tum domestico tum administrativo; et ita instructam inclusa biblioteca successori relinquere, in quantum scilicet mobilia haec non pertineant ad bona propria patrimonialia aut quasi patrimonialia.

2. – Parochus similiter debet conservare in bono statu domum seu residentiam suam, item necessaria suppellectili eam instruere; ea tamen mobilia, quae non ex peculio particulari parochi sed ex redditibus Ecclesiae etc. procurantur, non possunt deinceps a parochi auferrī, sed pertinent ad domum: unde etiam hoc bonum sequitur, quod ita quaelibet domus parochialis paulatim instrui poterit omnibus necessariis, etiam libris et aliis commodis, quae non sine magno sumptu a successore quolibet, in primo statim adventu procurari possunt.

3. – Habeat parochus locum, Notariae destinatum necessariis omnibus instructum, et accessu facilem fidelibus, qui illic conveniunt parochum ad negotia sua tractanda.

4. – Praeterea alter locus destinetur archivio in quo conserventur registra baptismatum, matrimoniorum, etc., et convenienter dispositus ita ut securus sit, quantum fieri potest, a periculo subtractionis, aut incendii, aut detrimenti qualiscumque.

5. – Nulli licitum est ad census locare domum parochialem, vel partem eiusdem. Et hoc vel ex ipsa

canonum praescriptione sequitur, ut parochus in domo parochiali et non in alia, nec ipsa patrimoniali habitet; omnino autem prohibetur vel ad unum diem tantum aut partem diei, elocare domum parochialem, vel atria, vel hortum ad celebrandos ludos sive scenicos, sive gallorum, taurorum, etc.

§ IV.

De Seminariis.

Conc. Trid. sess. xxiii, c. 18 statuit, ut singulae Cathedrales metropolitanae, et his maiores ecclesiae pro modo facultatum et dioecesis amplitudine, certum numerum puerorum... in Collegio ad hoc prope ipsas ecclesias, vel alio in loco convenienti... alere et religiose educare, et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur... ita ut hoc collegium Dei ministrorum sit perpetuum seminarium. Sequuntur monita super formatione alumnorum, eorum studiis, etc.

Ut provideatur expensis necessariis, mandat dein Concilium « ut Episcopi cum consilio duorum Canonorum (alter ab Episcopo alter a Capitulo eligendus) et duorum ex clero (eodem modo alter ab Episcopo, alter a Clero designandus) in hunc finem statuatur partem solvendam ex fructibus integris mensae episcopalis, et capituli, et quorumcumque dignitatum, officiorum et beneficiorum ».

Ut plene satisfiat fini, in quem erigitur seminarium, oportet, ut tum quoad studia, tum quoad valetudinem, tam physicam quam moralem, quantum redditus Dioecesis et cleri permittunt, nihil omittatur, ut omnibus necessitatibus provideri possit.

Proinde statuimus:

In qualibet Dioecesi procuretur pro seminario aedificium amplum, bene locatum, prope Cathedralem, si fieri commode potest, ita dispositum et necessariis omnibus instructum ut in valetudine bona, animo hilari, et in studiis ac virtute proficientes in eo degant alumni. Quod si alicui Dioecesi necessaria in hunc finem, pro locorum et temporum conditione, prorsus defuerint, poterunt duo vel plures vel etiam omnes Provinciae Antistites convenire ad seminarium commune, saltem pro studiis maioribus instituendum.

§ V.

De Confraternitatibus.

Ut valide et legitime erigantur Confraternitates et aggregentur Archiconfraternitati eiusdem nominis omnino observari debet Const. Clem. VII *Quaecumque*, in qua stabiliuntur conditiones quarum principales sunt:

a) Ut una tantum sit eiusdem Instituti in eodem loco:

b) Ut non erigatur nisi de consensu Ordinarii et cum eiusdem litteris testimonialibus.

c) Ut litterae patentes factae aggregationis absque ulla taxa seu mercede, etiam voluntarie oblata, expediantur.

Institutio confraternitatum in Ecclesia semper fuit plurimum commendata, ad fovendam vitam christianam sociorum et ad decorem cultus religiosi, in solemnibus praesertim functionibus et processionibus promovendum; insuper ad exercenda opera caritatis, v. gr. in

infirmis et pauperibus et peregrinis iuvandis, mortuis sepeliendis etc.; maxime vero ad augendum sacramentorum frequentiam, Sanctorum et imprimis Beatae Mariae Virginis cultum. Hinc plurimae confratribus gratiae, indulgentiae et privilegia a Romanis Pontificibus fuere concessae.

Antiquiores confraternitates plerumque pro sociis adoptarunt vestitum particularem, vel saltem scapulare, uti notissimum Carmeli sodalitium, praesertim quae a religiosis fuere institutae, et quorum plures nomen gerunt tertiariorum talis Ordinis religiosi.

Plerumque solent recipere contributiones sociorum pro manutatione proprii altaris vel sacelli, pro funeralibus et suffragiis pro sociis, pro Missis et festivitibus celebrandis: super administratione huius pecuniae, et onerum adimplentione, rationem reddere debent Episcopo vel eius delegato.

Si quacumque de causa legitima confraternitas de una ecclesia ad alteram transferatur, etiam bona eius simul transferri intelligantur, uti declaravit S. Rota decr. 8 Maii 1744.

§ VI.

Instituta Beneficentiae particularis.

Dubium esse non potest, quin unusquisque liberam habens facultatem suorum bonorum disponendi iure naturali, illis uti aut destinare ea poterit ad finem quemcumque honestum, tanto magis si fuerit ad iuvandos infirmos, indigentes, etc. Quod si lege civili aliquid super his constitutum fuerit, huic se conformare debet, ne fortasse pereat fructus boni operis. Si tamen ut a pluribus fieri solet, pro maiori securitate in di-

tributione eleemosynarum etc. vel administratione bonorum foundationis, interventionem sollicitaverit vel parochi vel alterius sacerdotis, hi eiusmodi officium regulariter accipere non debent, nisi consulto Episcopo.

Inter cetera opera beneficentiae particularis imprimis numerantur:

a) Scholae, praesertim elementares pro pauperibus. Administratio temporalis per se pertinet ad fundatores, iuxta regulas quas constituerint: item discipulorum admissio. Parochus tamen, si scholae fuerint pro pueris catholicis, ius visitandi eos habet per se, et obligationem procurandi ut doctrina christiana in illis rite tradatur, et omnia moribus bonis nociva caveantur, neque admittantur magistri non christiani, aut qui vita et moribus sint offensionis.

b) Hospitia et domus pro recipiendis pauperibus, orphanis, infirmis. Absque dubio fundatores pro libitu suo poterunt statuere quaecumque spectant ad rei temporalis et ordinis domestici administrationem. Qua christiani tamen in conscientia obligantur cuncta ita ordinare, ut praecaveantur quaecumque offenderent bonos mores, et ut provideatur pueris de doctrina christiana, et infirmis de auxiliis spiritualibus. Parocho autem hasce domus ut ceteras in sua parochia, visitandi ius non poterit denegari.

TITULUS VI.

DE BONORUM ECCLESIAE ADMINISTRATIONE.

Dubium esse nequit, normam pro administratione recta bonorum Ecclesiae desumi debere ex sacris canonibus et Pontificum Constitutionibus. Haec enim bona eo fine acquisita sunt, vel a donatoribus collata, ut

Ecclesiae inserviant ad honorem et splendorem cultus divini, ad ministrorum altaris sustentationem, ad institutionem iuventutis christianae, ad pauperum, infirmorum et orphanorum levamen, ad propagationem verae fidei inter haereticos et infideles. Itaque Ecclesiae vindicari debet horum bonorum administratio integra, et ab omni alieno interventu secura. Hinc Canon Apostolicus 41 statuit: « Praecipimus ut in sua potestate Episcopus res Ecclesiae habeat. Si enim animae hominum pretiosiores illi sunt creditae, nullo magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita ut potestate eius indigentibus omnia dispensentur per presbyteros et diaconos, et cum Dei timore et sollicitudine ministrentur. »

Iam vero, cum hoc sub titulo Episcopus appareat pro tempore dominus rerum omnium, quae ad Ecclesiam pertinent, necesse est ut fiat quam exactissime duplex inventarium: unum in quo omnia mobilia et ornamenta sacra quae, vel nomine proprio vel suae fidei commissa nomine aliorum possidet, accurate describantur; alterum in quo res suae propriae patrimoniales, etc. notentur. Hac enim ratione optime de bonis tam Ecclesiae quam Episcopi sine ullo confusionis, et inde forte contentionis scandalosae aut alienationis sacrilegae periculo provisum erit. « Et iustum est hoc apud Deum et homines, uti iam statuit canon Apostolicus 40, ut nec Ecclesia detrimentum patiatur ignoratione rerum Episcopi, nec Episcopus vel eius propinqui sub obtentu Ecclesiae proscribantur. »

Dein non omittant de propriis bonis, testamento tempestive (v. gr. statim ante vel post consecrationem vel saltem, ante iter ad limina Apostolorum) providere, quo nulla, ipsis vita decedentibus de privata proprietate difficultas oriatur.

Insuper curandum omnino, ut quaecumque documenta aut instrumenta in qualicumque bonorum istorum negotio adhibenda, ea ratione formaque legali conficiantur, ut gesta non tantum in facie Ecclesiae, sed etiam coram lege et iudice civili rata et fixa sint.

Ex eo quod sacri canones Episcopo committunt tutelam et supremam administrationem bonorum Ecclesiae, ad ipsum spectat invigilare, ut in singulis locis suae iurisdictionis bona ista sapienter administrantur. Ideo ab iis qui in loco hanc eius nomine administrationem habent, non solum in visitatione, sed singulis annis, districte exigat oportet rationem administrationis suae.

Ex supra dictis, et propter rationes allatas, sequitur Parochos in sua quemque Parochia (et similiter Rectores et Capellanos Ecclesiarum) debere elenchum accuratum conficere rerum, quae ad Ecclesiam pertinent, et alterum in quo notentur quae sunt ipsius bona patrimonialia etc. et etiam testamentum in quo clare appareat, quid ad Ecclesiam et quid ad haeredes pertineat.

DECRETA.

De administratione bonorum Ecclesiae.

1. – Ut quantum fieri potest, omnis occasio auferatur suscitandae litis, praesertim in casu decessus e vita; curam gerat Episcopus ut elenchus quam maxime exactus rerum omnium quae sunt ipsius, ut bona patrimonialia etc., et alter rerum quae pertinent ad mobilia Ecclesiae conficiat. Dein, tempore utili, fiat testamentum, in quo clare et forma legali de singulis bonis statuatur.

2. – Parochi et rectores ecclesiarum et bonorum Ecclesiae procuratores similiter singulis annis conficiant duplicem elenchum, et quidem rerum Ecclesiae in duplo, conservando exemplar alterum in archivio parochiali, alterum remittendo ad archivium Dioecesanum. Testamentum etiam tempestive conficere non omittant.

3. – Parochi omni sollicitudine invigilent rebus Ecclesiae, memores quod Deo rationem reddituri sint, non tantum de animis sibi commissis, sed etiam de bonis Ecclesiae. Oblata et donationes fidelium iuxta mentem donantis fideliter impendantur. Habeant librum rationum in quo huiusmodi dona exacte adnotentur, et alterum super acceptis et expensis; qui libri in visitatione exhiberi debent Ordinario, et quoties ab Episcopo petuntur, saltem singulis annis.

4. – Ut supra dictum iam fuit parochi aut capellano non licere absque venia Episcopi novas constructiones suscipere: multo minus licet ei in hunc finem alieno se gravare, aut vendere ex mobilibus Ecclesiae, praesertim pretiosis, nisi licentia obtenta, iuxta sacrorum canonum sanctiones. Episcopi autem erit peritum designare qui consilio suo adsit in hisce, maxime quoad constructiones novas.

5. – Collectores decimarum, oeconomi (*Mayordomo*) et ceteri omnes, qui aliquo modo res Ecclesiae administrandi curam habent, de hisce bonis librum rationum habeant, quo constet de fidei sua administratione.

6. – Curam gerant parochi, ne ad huiusmodi officia eligantur personae minus aptae, aut vitae scandalosae, aut deficientes quoad assistentiam ad Missam diebus festis et dominicis, aut receptionem sacramentorum saltem tempore paschali.

7. – Cum iuxta huius Reipublicae leges vigentes

intra eius territorium Ecclesia nequat possidere latifundia, agros, etc. curandum est omnino, ut fideles alio modo convenienti donationes suas in ipsius favorem faciant, nulla autem bona immobilia in testamento Ecclesiae donent.

8. — In quolibet demum documento omnes, qui bona Ecclesiae administrandi curam aliquam habent, curent omnino formas legales observare, et tempore utili consilium superiorum et peritorum invocare; ne imprudentia aut negligentia qualicumque damnum patiantur bona et redditus Ecclesiae.

9. — Ut melius provideatur bonae administrationi confraternitatum, in quolibet loco, qui eleemosynas et oblationes fidelium recipiunt pro Ecclesia, pro stipendiis, pro festis celebrandis, etc. habeant libros rationum in quibus accepta et expensa accurate notentur; qui libri subiacent inspectioni et approbationi Episcopi, aut eius delegati. Pecuniae autem conserventur in arca claudenda tribus clavibus, quarum unam parochus aut capellanus templi aut sacelli, alteram oeconomus (*Mayordomo*), tertiam conservet qui ab Episcopo custos arcae designatus fuerit.

SECTIO III.

DE SACRAMENTIS ET SACRAMENTALIBUS

TITULUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Christus Dominus pro mundi salute victimam se obtulit Patri, et sacrificium consummavit morte in cruce. Cum tamen homo duplici natura constet, spirituali et

corporali, voluit etiam Christus ut salus quam nobis meruit, per gratiam spiritualem ad animam transeat, sub signo tamen sensibili. Huiusmodi autem veluti salutis instrumentum vocamus *Sacramentum*; unde patet tria ad Sacramentum requiri: gratiam spiritualem, signum sensibile, institutionem a Christo factam.

Pro diversa hominum conditione varia etiam sunt Sacramenta: Baptismus primum et ianua caeterorum, ex filiis irae facit homines filios gratiae, fratres Christi et cohaeredes eius in gloria, subditos Ecclesiae eiusque legibus, participes communionis Sanctorum, et meriti coram Deo capaces.

Confirmatio speciali modo iam baptizatum roborat virtute Spiritus Sancti et militem Christi pro certamine huius vitae constituit.

Eucharistia est sacramentum quo panis et vinum, manentibus speciebus, in Christi corpus et sanguinem transubstantiatur. Divino hoc alimento anima fidelis, digne et debite illud suscipiens, nutritur et roboratur.

Poenitentia a peccato post baptismum commisso, fidelem vere poenitentem sanat.

Extrema-Unctio graviter decumbentes allevat, peccati reliquias tollit, et si expedit ad salutem, sanat aegrotum.

Sacro Ordine constituuntur Ecclesiae ministri ad ministranda Sacramenta fidelibus et ad reliqua ecclesiastica munia rite obeunda.

Matrimonium est viri et mulieris maritalis coniunctio inter legitimas personas, individuum vitae consuetudinem retinens. Sacramentum hoc gratiam confert, ut coniuges pie vivant et prolem christiane educent.

Iam vero cum Sancta sancte tractanda sint, ministri Sacramentorum omnimode curent: *Primo*, ut fide-